

Success. lib. 1. Atilam multo antea tempore accessisse Ravennam innuere videtur, cum narrat Johannis invasoris depressione, & Valentiniani Ravennae imperantis felicitate addit; cujus (Valentiniani) Germana Honoria, dum ad aulae decus virginitatem suam cogere custodire, clam misso Clientulo Atilam Hunnorum Regem iavit in Italiam, cumque veniente Atila votum suum nequiret explere, facinus, quod cum Atila non fecerat, cum Eugenio Procuratore suo committit. Hinc narrat Valentinianum Constantinopolim profectum ob suscipiendam in matrimonium Eudoxiam Theodosii filiam. Stuprum Honoriae Marcellinae, Baronio assentiente, consignat Theodosio XV., & Valentiniano IV. Cofs., idest anno CCCCLXXXV., quae si vera essent, & quod ait Jornandes, Atila ab Honoria invitatus Ravennam venisset, conficerent de Johanne Angelopte ab Agnello narrata in hac parte veritati consentire. At Honoria stuprum ut ut eo tempore acciderit, nequit sustineri tunc Atilam invitatum Ravennam venisse. De ea re acta tempore ab Jornande indicato, altum apud ceteros omnes silentium, & repugnat, eo quod summa quiete degeret tunc, ac eo anno Valentinianus Ravennae, nec Atila Italiam vexaverit, nisi multo post, quam solus regnare cepit, Bleda fratre occiso, quod accidit Theodosio XVIII., & Albino Coss. juxta Cassiodori Chronicon. Paulus Diaconus laudatus narratis Leonis Magni legatione, Atilaeque regressu addit; igitur Atila tali modo à sua segvitia repressus, relicta Italia, Pannonias repetit, ad quem Honoria Valentiniani Principis Germana, dum à Fratre ob decus pudicitiae districtè servaretur: suum Eunuchum dirigit, quatenus eam sibi à Fratre in matrimonium extorqueret, & narrat ab Atila Valentiniano mandatum, ut Honorium cum parte Regni sibi daret, additis minis de pejoribus mox Italia inferendis, nisi morem gereret, qui deinde cum puellam alteram adjuisset ceteris Uxoribus, fuisse occubuerit. Quae quidem acta sunt postremis Valentiniani annis, Theodosio praedefuncto. Quod si post admissum facinus Honoria missa est Constantinopolim custodienda, oportet, ut multo antea stuprari se passa sit, hinc Ravennam reversa Atilam in Pannonias revertentem revocare studuerit; quae diversis temporibus acta, Jornandes in unum conflavit. Maneat igitur, Atilam Ravennam afflicturnum semel venisse, cum Aquileja subacta, Venetas Urbes, Liguriaque, ac Emiliae regiones devastavit, & Flaminiae imminens Ravennam Imperatoris in Occidente Sedem tentandam decrevit, unde repressus ad Minti ostia primum inde in Pannonias reversus est, ac proinde hac ad alterius Johannis tempora pertinere. Ceterum de Atila interitu Marcellinus Agnello consentit, aliis sanguinis vomitu occubuisse narrantibus, eodem Marcellino testante.

VII. Ab Atila ad Theodoricum ingenti sane saltu transcendendum est, ut xatà rēda Nostrum sequamur. Incendium Pontis Ravennatis in Paschate IV. Nonas Aprilis concremati praedium affertur Theodorici adveniens. Pascha die 2. Aprilis celebratum est anno CCCCLXXXIX., Cyclo Solis XXII., Luna XV., litera Dominicali A. Eo ipso anno Eusebio, & Probino Coss. Marcellinus haec habet; Theodoricus Rex Gothorum optatam occupavit Italiam. Odoacer itidem Rex Gothorum metu Theodorici perterritus Ravennam ingressus est. Porro ab eodem Theodorico perjurius illeceus, interfectus est.

A Complectitur autem diversorum annorum gesta in unum, quae Cassiodorus suis temporibus consignat, eoque anno Theodoricum narrat ad Isoncium, & Veronam Odoacrem superasse, sequenti Fausto Juniore Coss. ad Adduam denuo contrivisse, & Ravennam obsidisse, altero Olybrio Juniore Coss. ad Pontem Candidum devicisse, ac tandem anno CCCCLXXXIV. Albino V. C. Coss. Ravennam ingressum, Odoacrem molientem sibi insidias interemisse. Baronius Consulatum Fausti omittit, & duorum annorum gesta in unum contrahit. Cassiodoro testi eorum temporum standum est, & Agnellus ita explicandus, ut anno CCCCLXXXIX. in Paschate Pontem Ravennae flamma consumpserit, sequenti Odoacer Ravennae se recipiens obsessus sit, anno CCCCLXXI. quo & Eruatorum eruptio accidit, Theodoricus vicerit. Quod sequitur, & abiit ad Ariminum, &c. ad Theodoricum spectat, qui cum perrexisset Ariminum (Rubeus Civitatis Flaminiae subegisse ait) cum Dromonibus in Portum Leonem reversus est, ubi postea Palatium modicum construxit VI. ab Urbe Ravenna milliaria ad D. Mariae edem, quod Agnellus ipse sui juris tandem fuisse ostendit, quare ex ejusdem ruderibus domum sibi in fundo materno Ravennae edificavit. Loci facies adeo immutata est, ut diffillimè conjici possit, (1) ubi Palatium Theodorici, Portusve Leonis fuerit, verum sicuti Candiani Campi, ubi tertio devictum Odoacrem Noster dicit, nomen ipsum adhuc superest, sic Palatioli vocabulum ad nostram etatem perseverasse novimus. Rubeus ex veteri Chronico sibi nota certa loca, ubi Theodoricus castrametatus sit recenset, Palatiolum, Pontem Candidi, & Pinetum, quorum postremum, & Paulus Diaconus memorat, qui refragatur tamen Rubeo narranti, Theodoricum territum in conspectu ad Pontem Candidum factu, cum ad castra fugerit, à Matre repulsum, afferit enim Matrem Ticini relictam. Postremis anni CCCCLXXIII. diebus Ravennam terremoto concussam narrat Noster, quod alii silent, eodemque tempore datum obsidem ab Odoacre, qui post quartum mensem Ravennam Theodorico dedit. Haec adnotare visum est, cum bucusque ex editis frustra petantur. Porro Episcopum Ravennatem cum Clero à Theodorico pacis condiciones obtinuisse, quod narrat Noster, assertorem habet Procopium de Bello Gotthico lib. 1., qui & in ceteris de caede Odoacris ex perjurio patrata, convivii occasione, suffragatur. Quod semel autem ceperat, Theodorici acta proseguitur usque ad ejus obitum, & sepulcrum in insigne laudat, quod usque adhuc superest, arca ex porphyretico lapide ad Divorum Apostolorum translata, de quibus consule, si lubet, Rubeum, Fabruncum. Horum prior, cum ad annum MDIX. narrat, porphyreticam Theodorici Urnam ex mirabili sane S. Mariae Rotunde marmoreo fornice bombardae ictu dejectam, ab Agneli Historia recedit, qui dissentit tradit, suo tempore Arcam cadavere vacuam ante Monasterii, sive Sacelli illius aditum projectam jacuisse, quod idem recentior Chronica Auctor testatur. Quod autem Theodoricus trigesimo Regni sui anno in Siciliam exercitum miserit, quam depopulaverit, & suis ditionibus mancipaverit, ut tradit Noster, apud neminem me legisse fator; quinimo Cassiodori potius consiliis, quam armorum ope Siciliam subactam ipsis Regni Theodorici initis, abunde constat. Narrata Symmachii, & Boetii caede, nec non Johannis Papae obitu implicato sermonis genere, ac si haec omnia Ravennae facta fuissent, cum tamen notum sit, Boetium Ticini obruncatum; quae sequuntur de eorum

(1) Vide Praefationem num. 10. Bacch.